



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

V. Complures Calvinistae Catholicos se simulant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

indiciis prodant. Quibus vos armis, & Calvinistæ, veteres illos hæreticos impugnabitis, ut Pepusianos, qui cum pane frumento; aut Aquarios, (quos Clemens Alexandrinus i. libro Stromatum aperte hæreticos appellat) qui loco vini aqua in hoc sacramento utebantur? Ut de aliis nihil dicam, qui pro vino lac, aut deniq; aliquid aliud substituerunt: quorum omnium error in idem incidit. Quia etiam ob hoc ipsum Calvinistæ à Lutheranis reprehenduntur, uti ex libro II. Theologiæ Calvinisticæ, & sequenti de duobus abstemiis historia videre est: quæ sic habet Cardinali Hosio, apud Imperatorem Ferdinandum Legati Apostolici munus obeunte, duo nobiles cum Iesuitis disputationem de cõmunionem Calicis susceperant. A quibus rogati (neuter enim vinum bibebat) quomodo Cœnâ suam celebrarent: unus respondit, se ex superintendentium consilio, aquam adhibere. Alter vero, Hoc, agebat, ego nequaquam à meis Pastoribus impetrare potui. Equidem Magdeburgenses in cõsiliũ adhibui, qui responderunt, si velim sanguinis Dominici fieri particeps, nullo modo me Calicem abstinere posse. Horum offensus pertinacia, Augustam profectus sum, ubi mihi idem fuit responsum. Periculum deinde in meo cubiculo facere volui, utrũ vino uti possem: sed infusum omne reluctans stomachus rursus egressit. Re diu multumq; in Consistorio ventilata, tandem conclusum fuit, debere me quando Cœna celebraretur, Calicem quidem accipere, atque ori vinum admovere, tumque etiam si nihil de gluriam, fide tamen me Christi sanguinis futurum participem. O lepidum commentum! quod nescio equidẽ quomodo cum reali manducatione quam Augustanæ Confessionis homines fatentur, conciliari possit. Historiam hanc Rescius in Artheimicis suis de Trinitate recitat. Sed ad miseros nostros erroneos redeo.

Non multo post novæ isti religionis sectatores cum Manducatione sua è cavernis ac hortis longe ab hominum cõmmercio remotis, in publicum eruperunt, quamvis spiritum domi, uti agebant, in cubiculis suis relinquerent. Inde vero magnæ cõtroversie inter Calvinistas ortæ sunt, quibusdam dicentibus, ad vitandam persequutionem, licere Missam accedere, modo animus integer & in veritatis cognitione firmus persistat; eoque externam illam actionem neminẽ debere offendere. Calvinus qui Genevam tanquam ad asylum confugerat, ibique tutus se continebat, acerbum scriptum contra perlonatos hos fideles, quos Nicodemitas appellat,

Anno MDXLV. edidit. Multi nihilominus in sententia sua persistebant, agentes, Domini solius esse cõscientiã judicare, ut cui soli interiora animi cognita sint ac contra rationem esse, Ecclesiam vix dum natam, quamque nihil magis quam silentium & secretum tutam præstet, præsentissimo periculo objicere, ac hostibus penitus exstinguendam ac proculcandam dare.

VI. Dubia porro hæc in omnibus fere eorum cõtibus ventilata sunt, nec leves inde contentiones ac simulates exstiterunt, ferventioribus eos qui ad Catholicas itarent Ecclesias increpantibus. Quocirca legatos in Germaniam, Helvetiam, ac Genevam miserunt, ut Theologos quid hac in re faciendum esset, consulerent. Quorũ diversa fuerunt sententiæ Saxones enim, Licere, agebant, declinandi periculi causa Papisticis interesse ceremoniis, verum id quã potest rarissime faciendum. Calvinus è contra, cui aliena pellis vilis erat, Deo pure serviendum, & tam corpus quam animum ab omni idololatriæ labe purum servandum, recte, et si minus vere, monebat. Sic ergo incertiores quam antea redditi, ex miseris illis nonnulli hypocrisis velo utebantur, & corpus quidem ad Missæ sacrificium afferebãt, cor vero domi in cubiculo relinquebant. Alii vero Calvini sequuti consilium, & animi sui sententiam libere professi, novum illud Pseudomartyrologium nominibus suis & Actis longius fecerunt, ut infra videbis.

QVIBVS ARTIBVS RELIGIOSI VTRIVS-
que sexus ad Calvinisticam religionem vel
libertatem potius fuerint pertracti.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

ARGUMENTVM.

- I. *Calvini Evangelio percrescente, multi utriusq; sexus Religiosi monasticum habitum abiciunt.*
- II. *De quodam Monacho Dominicano, à Calvinistis ut religionem desereret tentato.*
- III. *De quibusdam qui Catholica religione ad seducendos alios abisi sunt.*
- IV. *In primis ut populum ad idololatriam perducerent.*
- V. *An illa vera fuerit idololatria.*
- VI. *Quæ idololatria est materialis, non formalis.*

QVemadmodum morbus omnes pravos corporis male affecti humores excitat; sic Lutheri ultima ac Calvinii rabies omnes eorum qui